


ML



5







GEORGII ADAMI STRUVII,  
D. J. U. Prof. Publ.  
EXERCITATIONEM FEUDALEM  
TERTIAM

*De*  
FEUDI DIVI-  
SIONIBUS,

Sub  
Ejusdem Præsidio  
Iterum publicæ disquisitioni exponit, & quæ-  
dam ex Jure Criminali *Ἰνδίκματα*  
annectit

ALEXANDER Hummel/  
*Ad d. XX. Decembr. Anno*  
M. DC. LVI.  
H. L. Q. C.



JENÆ  
è Typographèo JOHANNIS NISII.





I.

**I**njuria est delictū privatum, quo alteri contumelia infertur. *l. 3. §. 1. l. 13. §. 4. in fin. l. 15. §. 24, 46. & seq. vers. Idem ergo ff. de injur. & fam. libel. §. 3. 7. eod.*

II. Sicut verò in omni delicto, præterquam in damno injuriâ dato, requiritur dolus: Ita quoque in hac delicti specie is attenditur *l. 3. §. 3. & 4. cum l. seq. ff. b. &* propter finem, quem injurians intendere censetur, animus sive affectus injuriandi vocatur *d. l. 3. §. 1. l. 34. pr. de O. & A.* Qui in doli capacibus ex ipso dicto factove per se & naturâ suâ injurioso, ut in *l. 9. §. ult. l. 15. §. 20. & 22. l. 25. junct. l. 18. §. 3. & 5. in fin. ff. b.* vel saltem ad invidiam alicujus spectante. *d. l. 15 §. 4. in fin.* præsumitur, ita ut illum negans abfuisse ostendere debeat. *l. 5. C. b. Carpz. prax. crim. p. 2. q. 97. n. 4. & seqq. adeò, ut nec istiusmodi verbis præmissa aut subjecta protestatio præsumtionem hanc removeat. Magn. Dn. Richt. Cent. Reg. jur. 2. n. 27. Carpz. d. p. 2. q. 96. n. 40.* Habetur autem pro injurioso, quando tale quid in aliquem planè non merentem *arg. l. 18. ff. b. t. committitur, quod vel naturâ turpe est. l. 42. de V. S. vel bonis moribus regionis & civitatis alicujus, in qua vivimus, repugnat. l. 15. §. 6. b. ibique à bonis & sapientibus viris ignominia aliàs ducitur. Ant. Matth. d. crimin. in l. 47. D. tit. 4. cap. 1. n. 2.*

III. Hinc cessat & eliditur illa præsumtio, animumque injuriandi allegans probare tenetur, si quis vitia corporis seu naturæ de aliquo solum referat & divulget. *e. g. quòd sit claudus, luscus & c.* Ant. Matth. *d. l. n. 3.* aut simile quid indifferens & sui naturâ injuriam haud importans committat. *arg. l. pen. in fin. & l. 15. §. 31. & seqq. it. l. 19. & seq. b. l. 1. §. 8. de vent. in spic. Schneid. ad §. ult. 7. b. n. 3. ut & si joci saltem causâ aliquid factum sit. l. 3. §. 3. l. 15. §. 23. b. Magn. Dn. Richt. d. reg. 2. n. 64.* Quò pertinet etiam, si quis tantum juris sui tuendi causâ ejusmodi quid, quod speciem quandam ignominia præ se fert, peregerit. *exempla vid. in l. 15. §. 38. b. t. 6. §. 2. de pæn. junct. l. 5. §. 3. in fin. ad L. Aquil. add. Gail. 2. o. 106. n. 6.*

n. 6. it. l. 13. §. 1. & l. 33. b. t. add. l. 55. l. 151. de R. J. it. l. 15. §. 13. de quo Harpr. ad §. 11. J. b. n. 52. it. l. 45. §. 4. l. 52. §. 1. ad L. Aquil. ad eò ut etiam in judicio hanc ob causam per exceptionem alicui crimen objicere liceat. Gail. d. 2. o. 106. n. 6. & 7. Si tamen in probatione objecti facinoris adversarius tunc fortè succumbat, ab actione injuriarum non liberabitur. l. 10. C. h. t. l. 31. C. de liber. caus. vid. latè Bocer. ad l. un. C. de fam. lib. c. 3. n. 23. & seqq.

IV. Sed, An idem obtineat, quando ignominiosum dictum alicui objectum est verum? non satis convenit inter Dd. Nos, si id eò solùm, ut incognitum antea crimen ejusque autor judici innotescat, sit prolatum, quod in dubio quoque præsumitur, id affirmare non dubitamus per l. 18. in verb. nota esse. ff. b. vid. Heinr. Bocer. ad d. l. un. C. de fam. libell. c. 3. n. 16. Quem sensum d. l. 18. etiam exprimunt Basil. lib. 60. tit. 21. l. 18. hisce verbis: Ο τὸν βλαπτικὸν ἀπιώσας ἤγουν φανερώσας, ἔκαταδικάζεται. Is, qui nocentem infamat sive prodit, non condemnatur. Conf. quoq; Frid. à Sande Dec. Fris. l. 5. t. 8. def. 7. Ant. Matth. d. c. 1. n. 8. Cui tamen in eo assentiri non possumus, quod in ejusmodi casu actioni injuriarum nullum planè locum relinquat, etiamsi animus injuriandi adfuerit & probari possit, quamvis idem etiam putet Harpr. ad d. §. 1. J. b. n. 101.

V. Probari verò hisce & similibus casibus animus injuriandi poterit, si (1.) aliæ circumstantiæ & indicia vel verba incivilia concurrant, ex quibus nihilominus animus injuriandi colligi queat. per text. in tb. preced. alleg. Vid. Magn. Dn. Richt. d. reg. 2. n. 28. & 62. Quæ si non satis sint sufficientia, judici pro re natà per juram. purgatorium litem hanc dirimere incumbit per l. 6. §. 4. ff. de his qui not. inf. c. fin. in fin. extr. de jurei. Magn. Dn. Richt. d. l. n. 29. Carpzov. d. p. 2. q. 97. n. 6. & seqq. (2.) si quis legitimos terminos in sui juris usurpatione enormiter planè excedat. l. 32. h. t. arg. l. 5. §. 3. l. 6. l. 29. §. 7. ff. ad L. Aquil. Harpr. ad d. §. 1. b. n. 15. & ad §. 11. n. 68. & seqq. Hinc facilè forsitan negotio decidi potest quæstio: An & quando sacerdos, si pro concione quempiam notaverit, injuriarū teneatur? quam latè tractat Harprecht ad §. 11. J. b. n. 31.

VI. Committit injuriam non solum is, qui immediate eam infert, sed & qui certo respectu, perinde ut in aliis delictis ad eam

con-

consummandam concurrat. §. 11. b. l. 11. §. 3. l. 15. §. 2. & 8. ff. eod. l. un. C. de fam. libell. vel ejusmodi rei illicitæ operam dat, ex quo necessariò injuria sequitur. l. 9. §. 4. l. 22. l. 25. ff. b. l. 18. §. 3. eod. arg. l. 15. ff. ad L. Corn. l. 82. §. 2. furt. Add. Magn. Dn. Richt. d. tr. reg. reg. 59 n. 5. & 6. Harpr. ad pr. f. b. n. 15. Bachov. ad Tr. vol. 2. D. 32. t. b. 2. F. pr.

VII. Afficitur injuria is, ad cujus contumeliam dictum factumve injuriantis spectat. l. 18. §. 3. 4. b. licet læsus non statim illatam injuriam animadvertere possit, idque vel propter veram l. 15. §. 7. b. vel q. f. absentiam. l. 3. §. 2. junct. l. 17. §. 11. in fin. b. nec eam ad animum revocet arg. §. fin. b. l. 11. §. 1. ff. eod. si modò ipse non confenserit, cum involentem injuria etiam generaliter accepta committi non possit. l. 1. §. 5. l. 17. pr. b. l. 3. §. 5. ff. de lib. hom. exhib. l. 11. de injus voc. l. 145. l. 203. de R. f. l. 34. C. de transf. l. 11. pr. C. de resc. vend. Cum quo convenit etiam illud Philosophi §. Eth. 11. in fin. βλάπεται μὲν τις ἐκῶν, καὶ τὰ ἀδίκᾳ πάσχει, ἀδικεῖται δὲ ἴσθεις ἐκῶν. Damno quidem suâ sponte quispiam affici resque injustas perferri & perpeti potest, injuriam autem suâ sponte accipere nemo potest.

VIII. Ex quo deducitur, quod nec seipsum propriis manibus injuriâ quis afficere possit. Quamvis enim ejusmodi ἀνόχη non solum dici possit ὁ δὲ ἴσθεις καὶ ἀδικῶν τὴν πόλιν i. e. quod malitiosè peccet in legem, homicidium prohibentem, & Rempub. dum eandem cive privat; sed etiam naturæ sui conservationem potius dictitanti, vim inferat; ἀδικίαν tamen illam, quæ aliàs in specie ἀνισότης Aristoteli dicitur d. 5. Eth. 2. sibiipsum hunc inferre propriè dici non potest. Vid. pluribus Arist. 5. Eth. ult. Quem adeò frustra Ant. Matth. d. tract. in proleg. c. 3. n. 3. & 4. lapsus alicujus hac in re arguere conatur, cum verba d. c. ult. nil quicquam à dicto Autore diversi, sed eundem plane sensum importent.

IX. Committitur vero injuria in aliquem non solum directò & immediatè, sed & per consequentiam ac mediatè, iis scilicet personis injuriam patientibus, quæ certâ quadam ratione injurianti haud ignotâ. l. 18. §. 4. ad aliquem pertinent, de quibus latè agit Harpr. ad §. 2. & 3. f. b. r. Imò interdum etiam per jam mortuos atque sepultos suos injuria quis afficitur. vid. l. 2. §. 4. & 6. l. 27.



*l. 27. b. t. junct. l. 8. pr. d. relig. & sunt. fun. Ant. Matth. d. proleg. c. 3. n. 5. Carpz. d. p. 2. q. 96. n. 29.*

X. Vindicari potest injuria vel actione *civili*, quâ sc. actor æstimationem injuriæ certâ quâdam pecuniæ summâ in libello expressâ sibi applicari petit. §. 7. & 10. *J. b. l. 37. §. 1. l. 7. §. 6. ff. eod.* ubi nihil interest, sive simpliciter eam petat, sive etiam simul ad jurandum super eâ sese offerat. Carpzov. *d. p. 2. q. 95. n. 8. & seqq.* Utroque casu summam istam judex deinde pro qualitate injuriæ moderatur sec. §. 7. & 9. *J. b. t.* quo factio demum subsequi quandoque potest oblatum actoris juramentum. Ant. Matth. *d. tit. 4. c. 3. n. 4. Carpzov. d. l. n. 13. & seqq.* Vel *Criminali* extra ordinem ad pœnam arbitrariam institutâ §. 10. *J. b. l. ult. ff. eod.* Carpzov. *d. p. 2. q. 94. n. 69.* Quam vel solam vel unâ cum *Civili* cumulativè instituire de more hodierno in actoris arbitrio est. Carpzov. *d. quest. 95. n. 26. & seqq. & quest. 94. n. 33.* Quamvis secus sit de jure civili. *l. 6. l. 7. §. 1. ff. b. t. junct. l. 2. §. 4. ff. de collat.* Vid. Schneidevv. *ad §. 10. J. b. n. 2. add. Dn. Frantzk. Exerc. 12. q. 8. n. 3.*

XI. Præterea etiam moribus duo adhuc remedia contra injuriantes sunt introducta. Alterum *judiciale*. Nimirum actio ad palinodiam, de quâ vid. Carpz. *d. q. 94. n. 13.* Quam q. s. rei fama sc. *add. rhes. seq.* persecutoriam esse naturamque civilis actionis sapere cum Carpz. *d. q. n. 15. & 51. Dn. Hahn. ad Wes. b. t. n. 18.* adeoq; cum actione injuriarum utrâque tam civili quam criminali hodiè cumulari posse cum Magn. Dn. Richt. intrepidè asserimus in sæpiùs laud. cent. reg. 2. n. 44. & seqq. ubi latè ad argumenta Diss. Carpzovii respondet, & præjudiciis rem confirmat.

XII. Alterum *extrajudiciale*. Et est retortio injuriarum. Cum enim injurians alteri suum *debitum sc. honorem* quo aliàs erat afficiendus, non tribuat, sed eum insuper lædere studeat. Ideo læsus non iniquè honorem, quo indignus habetur, rursus illi denegando ac fidem ejus elevando existimationè suam conservat, quod probat etiam Arist. 2 *Rhet. 2. ἀντιποιεῖν τις ἔχ' ὅτι ἐξέστην, ἀλλὰ ὑπερβῆναι i. e. referentes injuriam non afficiunt injuriâ, sed vindicant injuriam & s. Et h. ult. τὸ αὐτὸ ἀντιποιεῖν, ἢ donec ἀδινεῖν.* Quamvis autem famæ defensio adeò necessaria, sicuti vitæ, non videatur, cum hæc semel amissa recuperari nequeat, illa verò tanquam in honestate & probitate

vita



vitæ posita, nec per atrocissimas injurias reverâ adimatur. Præter-  
eaque, positâ ex superstitione vulgi aliquali famæ læsione, nihilo-  
minus per judicem quis satis sibi consulere possit: Quoniam tamen  
quoad res ejusmodi defensio in continenri suscepta, non attentâ  
coram judice agendi facultate, privatis & quidem interdum magis  
compendii quam necessitatis causâ *arg. l. 3. §. 17. de vi & vi arm.*  
in jure est permessa: Longè rationabilius consuetudine ad honorê  
quoque eam extensam fuisse dicendum est, utpote qui non imme-  
ritò cum Philosopho *4. Eth. 7.* bonorum externorum maximum  
censetur *jung. l. 104. de R. I.* Cui etiam accedit, quòd ignoscendum  
sit ei, qui pudorem suum purgare vel ulcisci sese voluit provocatus  
*per l. 25 ff. de procur. l. 14. §. 6. d. bon. libert. & quòd extra culpam*  
*fit, qui non eo animo quid fecit, ut alteri noceat, sed ne sibi noceat.*  
*l. 2. §. 9 ff. de aqu. & aq. pluv. arc.* Quâ de re ejusque legitimo  
moderamine latius & accuratiùs differit, Nobiliss. Dn. Præsès *in*  
*Disp. sua inaug. de vind. priv. tb. 49. & seqq.*

XIII. Cæterum petita ab actore recantatio à judice indistin-  
ctè ob quamlibet injuriam non est decernenda, sed si injuria atrox  
sit *Carpz. d. q. 94. n. 18, 19. & 77.* (Unde etiam meritò regulariter  
pro famosâ est habenda *per l. 1. l. 4. §. ult. de his qui not. infam. l. 10.*  
*l. 18. C. eod. junct. l. 17. §. 3. l. 40. l. 42. b. t. c. 23. extr. d. sent. & de*  
*judic. à quo tamen diff. Carpz. d. q. n. 65.*) Aliàs vel solâ deprecatio-  
ne seu declaratione interdum actor contentus esse jubetur *Carpz. d.*  
*l. maxime si reus debito tempore ad eam sese offerat. Carpz. d. q. n.*  
*88. & q. 97. n. 13. & 16.*

XIV. Extinguitur actio injuriarum non modò per dictam re-  
tortionem, Nob. Dn. Præsès *d. disp. tb. 56.* sed & aliis modis, de qui-  
bus agunt Dd. *in §. fin. 7. b. t. vid. interim Magn. Dn. Richt. d. reg. 2.*  
*n. 66. usq. ad fin.* ex istorum autem numero potissima est (1.) præscri-  
ptio annalis *l. 5. C. b. t.* quæ incipit quidem à tempore scientiæ, post-  
eà vero est continua. *Vid. l. 1. d. divers. & temp. præser. l. 1. in fin. C.*  
*d. ann. exc.* quo etiam respectu aliis istiusmodi annum utilem vo-  
care magis placet. *Vid. Bach. ad Tr. V. 2. D. 30. tb. ult. E. Gail. 2.*  
*O. 105. Disp. Wissenb. Disp. ad Inst. 43. n. 19.* Et hæc hodie in quali-  
libet actione tam civili quam criminali (exceptâ tamen ea, quæ ex  
*l. 10. C. de Episc. & Cler.* itemque ex *L. Corneliâ* ob injurias quas-  
dam

dam reales immediatè alicui illatas dantur. §. 8. *J. b. l. 5. pr. §. 6. h.*  
 Ant. Matth. *d. t. 4. c. 1. n. 18. & seq.* Frid. à Sande *dec. Fris. lib. 5. tit.*  
*8. def. 3.* Dn. Franzk. *Exerc. 12. q. 9. n. 15. Diss. Wissenb. d. l. n. 18.)*  
 obtinet Carpz. *d. q. 97. n. 57. Diss. quoad act. ad palin. Harpr. ad d.*  
*§. 12. n. 11. (2.)* Mors tam injuriantis quam injuriati §. 1. *J. d. perp. &*  
*temp. act.* adeò ut nec actio ex L. Corn. ultrà durare, Frid. à Sande  
*d. l. 5. tit. 8. def. 4.* nec etiam lite contestatà tam hæc quam aliæ re-  
 gulariter in heredes rei transire possint per *l. 20. l. 26. ff. de pæn. l. 3.*  
*5. & ult. C. quando reus vel accus. mort. Conf. Harpr. ad §. fin. J. b.*  
*n. 69. & 74.* præterquam si civiliter ad æstimationem injuriæ fue-  
 rint intentatæ. *d. §. 1. in fin. l. 13. l. 28 de injur. l. un. C. ex delict. de-*  
*funct. in qn. her. Carpz. 3. resp. 39. n. 6. & pr. crim. p. 2. q. 96. nu. 31.*  
 quâvis aliàs actor eam judicio inclusam indistinctè in heredes suos  
 transmittat *d. §. 1. in fin. Carpz. d. q. 96. n. 25. & seq. Diss. Harpr. d. l.*  
*nu. 69. & seqq. Ubi injuriato ante lit. contest. defuncto ejus heredibus*  
*non modo criminaliter sed etiam ad palin. agere absq. sufficienti juris*  
*fundamento potestatem facit. add. supr. à tb. 10. in fin.*

XV. Porro ab annali præscriptione excipiendum quoque est  
 judicium criminale, quo famosus libellus vindicatur *l. 5. §. 9. ff. b.*  
*l. un. C. d. fam. lib.* Cum enim non ex jure prætorio, sed civili de-  
 scendat perinde ut alia hujus generis judicia per 20 ann. durabit.  
*l. 12. in fin. C. ad L. Corn. Sicar.* Est autem famosus libellus vulgò  
 pasquillus dictus, verbalis injuriæ species, Bocer. *d. l. c. 1. n. 29. &*  
 committitur, qn. alicui scripto quodam ejusmodi crimen imputa-  
 tur, quod alias infamiam juris irrogare solet. *d. l. 5. §. 9. & seq. & §.*  
*1. J. b. t. Bocer. d. l. n. 4.* Cujus autores non solùm in eam, cui alios  
 per falsam hanc & famosam scripturam subjugare temerè conati  
 sunt, pœnam regulariter sunt condemnandi, Ord. Crim. Carol. *art.*  
*110. §. Welcher iemand. junct. d. l. un. C. b. Bocer. d. c. 5. n. 13, 15, 21.*  
*& 22.* Sed etiam intestabiles ex Lege esse jubentur. *d. l. 5. §. 9. b. l. 18.*  
*§. 1. Qui rest. fac. p. §. l. 21 pr. d. testib. Bocer. c. 5. n. 33. & seq.*

XVI. Nihil verò interest, sive verus autor nomen suum ad-  
 jecerit, sive sub alterius vel etiam tecto nomine ejusmodi libellum  
 ediderit. *l. 5. §. 9. b. Ord. Pol. d. An. 1577. tit. 35. Diss. Carpz. pr.*  
*crim. p. 2. q. 98. n. 28.* licet hic casus frequentius contingat, ac in eo  
 maximè judicium hoc necessarium sit *l. 6. ff. b. Bocer. d. c. 5. n. 3.*

XVII. No-

XVII. Notand. Denique & illud: Quod, licet veritas criminis aliàs omnem injuriarum vindicationem quandoque excludat; de quo *in tb. 4.* dictum. Hic tamen propterea quis non ab omni, sed capitali solum & ordinaria, quæ etiam huic casui *in d. l. un. C. b.* olim erat constituta, pœnâ liberetur, arbitrariæ verò vel extraordinariæ nequaquam evadere possit. *d. art. 110.* per quem adeò in hoc derogatum fuit *d. l. un. Vid. Bocer. d. l. c. 3. n. 14. & 16. in fin. & c. 5. n. 18. & 20.* Idque obtinere putamus, etiam si in judicio schedulæ quædam famosæ designatis simul personis notitiam criminis habentibus clam fuerint depositæ *c. 21. vers. Tertia extr. de accus.* Aliud tamen erit, si forsan non solum Autoris subscriptionem, sed & cætera requisita contineant, quæ aliàs judici ad usitatum inquisitionis processum inchoandum sufficiunt. Tunc enim, quia sec. juris dispositionem quodammodo sustineri possunt, meritò etiam cessabit pœna famosi libelli *arg. d. vers. Tertia. d. l. un. vers. sanè si quis d. art. 110. verb.* Und sich nach Ordnung der Rechte (*qua verba respicere videntur d. vers. sanè si quis.*) mit seinem Tauff- und Zunahmen nicht unterschreibet *ic. add. Heinr. Bocer. d. c. 3.*

*n. 13. junct. c. 2. n. 9. in fin. Molin. tract. 4.*

*D. 35. n. 2.*



01 A 6680


ULB Halle 3  
003 105 547




sb.

W 17







B.I.G.

Farbkarte #13

47  
GEORGII ADAMI STRUVII,  
D. J. U. Prof. Publ.  
EXERCITATIONEM FEUDALEM  
TERTIAM

*De*  
FEUDI DIVI  
SIONIBUS,

Sub  
Ejusdem Præsidio  
Iterum publicæ disquisitioni exponit, & quæ-  
dam ex Jure Criminali *Ἰνδίκματα*  
annectit

ALEXANDER Hummel/  
*Ad d. XX. Decembr. Anno*  
M. DC. LVI.  
H. L. Q. C.



JENÆ  
à Typographéo JOHANNIS NISII.

48

